Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2065

Quelle:
Copyright:

ſunt, ut ſequens nota in ora *fol.* 1. docet: *Collacionatus eſt hic tractatus cum libro eiusdem tenoris qui ſcriptus fuit anno 1356. die 7. menſ. Martij. pariſius pro Magiſtro alberto de Bohemia tunc rectore Vniuerſitatis pariſienſis: per manus Johannis dicti Criſpus.* Praeferunt vero hic titulum miniatum hujus modi: *Incipit ſcientia ad cognoſcendum pericula Eccleſie generalis. que propter yppocritas pſeudopredicatores peruertentes domos. ocioſos. curioſos. gyrouagos. preſentes et futuros introduci debet. et de ſignis eorum. et qualiter vitari debent. eciam et puniri. edita per expertum in ſcientia Theologie Magiſtrum Johannem. alias vilhelmum de ſancto amore.* Extant hae *Collectiones* inter Opera *Guillielmi* impreſſa p. 111. ut diximus ad *Cod.* mox *cit.* quo te refer.

II. *fol.* 77. *Incipit prefatio beati Auguſtini de opere monachorum ſupraſcripto in libro per diuerſa loca allegato.* Praefatio haec locus eſt *Auguſtini* in II. *L. Retractat.* ubi de praeſenti Opuſculo loquitur, quod nobis *Capp.* XXXI. definitur, et collatum cum edit. *Mauriana* T. VI. *col.* 475. in verbis C. XXX. *ſe potiſſimum corrigendos*, deficit.

III. *fol.* 86. *Honorii* III. P. R. Adprobatio Regulae *O. Minor.* Incipit: *Solet annuere Sedes appoſtolica piis votis* &c. Finit: *Datum latrano. tercio klas decembris. pontificatus noſtri anno octauo*, id eſt 1224. Extat in *Bullario Romae* impreſſo T. III. P. 1. p. 229.

IV. *fol.* 87. *Articuli reprobati per extravagantem Johannis pape* XXII. *Vas electionis* &c. Sunt *Johannis de Poliaco*, de quo alibi, ut in *Indice.* His adhaerent breviora Collectanea, v. g. *Intrare per anguſtam portam quid ſit. De Scientia Demonum circa naturalia. Quod mali peiorantur ex vita bonorum* &c. decerpta partim ex *Chryſoſtomo* in Matth. *Hugone a S. Vict. Iſidoro Hiſpal. Petroque Damiani.*

V. *fol.* 93. *Innocentii* IV. P. Rom. Literae de Juribus Parochialibus ad Regulares. Initium: *Et ſi animarum affectantes profectus* &c. Datae XI. *klas. decembris Neapoli pontificatus noſtri Anno* XII. id eſt 1254. ſeptem diebus ante mortem. Exhibet eas *Eg. Bulaeus Hiſt. Univ. Pariſ.* T. III. p. 270.

VI. *fol.* 94. Declaratio *Clementis* IV. P. Rom. ad Magiſtrum et Fratres Ordinis Praed. ſuper licentiam concionandi, confeſſiones excipiendi &c. Incipit: *Quidam temere ſencientes et ad ſobrietatem ſapere neſcientes* &c. Notae chronologicae nullae. Non extat in *Bullario Rom.* nec in *Collect. Concil.* ſed in *Privilegiis Ord.* impreſſis *Mediol.* 1505. *n.* 61. 4. data *peruſii.* VII. *kal. Julii* pontificatus *anno primo*, id eſt, 1265.

VII. *fol. eod. Martini* IV. P. Rom. Privilegium Ordini Minorum et Praedicatorum datum ad

easdem